

## EDITIONIS SECUNDÆ XXVIII

simo, superioris saeculi, <sup>56</sup> iterum decimo huius saeculi anno, octonis. Mihi vero, neque versio Latina viri probatur, neque notae. Illa enim admodum obscura est, quum annumeret verba Graeca lectori: quo ipso obscuritatis vitio etiam animaduersiones laborare reperimus. In emendanda oratione Graeca fere ingenium sequutus est, sed ita, ut paucissimis in locis assequutus veritatem videatur. Cuius quidem rei causas, partim a nimia audacia ducendas esse putamus, qua ablatus etiam sanissimas lectiones attigit, partim ab effreni illa Barnesio repugnandi libidine, etiam iis in locis, vbi eum videret vinci recte non posse. Nam Iosua Barnesius haec ipsa odaria à se emendata, certe multis modis immutata, edidit, post Baxterum, Cantabrigiae anno quinto huius saeculi, <sup>57</sup> duodenis: quae editio repetita est, eodem in opido, sex, et decem, annis post, et Londini anno quinto, et tricesimo. <sup>58</sup> In versione Latina, quam addidit, deprehenditur eadem obscuritas, ob quam nobis displicere ostendimus Baxteri versionem: et quanquam in constituendo textu Graeco adhibuit, praeter Scaligeri, Salmasii, <sup>59</sup> et Dan. Heinsii, coniecturas, lectiones codicis Vaticanani, quas excerpserat inde Isaacus Vossius, cuius exemplar acceperat Barnesius <sup>60</sup> a Joh. Catono, qui, ut Lucas

<sup>56.</sup> Huius editionis exemplaria fuere in bibliotheca Pe. Francii: vid. Catal. eius p. 140.: et in bibliotheca Joh. Erh. Kappii. vid. Catal. eius p. 14. n. 219. P. 2.

<sup>57.</sup> Vid. Acta erudit. Lipsiens. A. C. 1706. p. 457. ss. et Clericus biblioth. sel. To. 11. p. 335. ss.

<sup>58.</sup> Vid. Biblioth. raisonnée To. 15. P. 1. p. 236.

<sup>59.</sup> Notae MSS. Salmasii in Anacreonem sunt in bibliotheca regia Parisiensi. vid. Catal. codd. MSS. eius To. 4. p. 488. cod. 8740. n.

<sup>60.</sup> Iis usus est ad augendam, exornandamque, editionem carminum poëtae Argentoratensem

vtramque Bruncius, qui in notis ad odar. 43, 7. p. 126. Argent. 2. ostendit, Salmasium, praeter codicem Vaticanum, alias veteres schedas, bibliothecae puta Palatinae: vid. Bruncius ad odar. 15, 1. p. 98. Argent. 1.: quae ab eo saeppe commemorarentur, inspexisse.

<sup>61.</sup> Vid. eius notae ad odar. 11, 10. Sed in bibliotheca Vossii ipsa fuit exemplar codicis Vaticani, ab Vossio, aut Gronouio quo, inde descriptum, quod nunc est in bibliotheca Academiae Leidensis: vid. not. 33.: et quo usi esse videntur homines docui plures alii. vid. not. 33.